



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Sententia S. Thomæ, & Caietani. c. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

rei competere secundum suam essentiam: simplicium autem essentia sunt indiuisa, & acti, & potentia: compositorum vero essentia sunt indiuisa secundum actum tantum: & ideo oportet, quod qualibet res sit una per suam essentiam, non autem bona, ut ostensum est.

In corp. ar.

Ad secundum dicendum, quod licet vnumquodque sit bonum in quantum habet esse, tamen essentia rei creatæ non est ipsum esse, & ideo non sequitur quod res creatæ sit bona per suam essentiam.

Ad tertium dicendum, quod bonitas rei creatæ non est ipsa eius essentia, sed aliquid superadditum, vel ipsum esse eius, vel aliqua perfectio superaddita, vel ordo ad finem. Ipsa tamen bonitas sic superaddita dicitur bona, sicut & ens: hac autem ratione dicitur ens, quia ea est aliquid, non quia ipsa aliquo alio sit. Unde hac ratione dicitur bona, quia ea est aliquid bonum, non quia ipsa habeat aliquam aliam bonitatem, qua sit bona.

Conclusio est: *Solus Deus est bonus per essentiam.* Quæ primo intuitu facilis videtur; eo tamen modo quo à S. Thoma intelligitur, difficilis est, ut disput. sequenti patebit.

DISPUTATIO XXIV.

An esse bonum per essentiam sit proprium Dei.

Sententia S. Thomæ, & Caietani, cap. 1.
Exponitur difficultas prædictæ sententiæ, cap. 2.
Conueniunt bonum per essentialem, cap. 3.

CAPVT I.

Sententia S. Thomæ, & Caietani.

S. Thom.
Caiet.

Proposita controuersia ita facilis videbatur, ut nulla circa illam esse posset varietas opinionum: nihilominus circa modum eam explicandi non est omnium eadem sententia. Prior sit S. Thomæ, quam sequitur Caietanus in hoc art. 3. nempe proprium esse Dei, esse bonum per essentiam, ita ut nulla alia res per essentiam bona esse possit. Cuius rei gratia notat Caietanus particulam illam, *Per essentiam*, in ea propositione ad diuersa referri posse: aut enim refertur ad subiectum, scilicet Deum, & ita sensus erit: Deus per suam essentiam ita est bonus, ut non sit per aliquid ei additum. Aut particula, *Per essentiam*, refertur ad prædicatum scilicet ad bonitatem; & ita sensus erit: Deum esse bonum bonitate non participata, sed quæ per essentiam talis est. Dicitur autem, inquit Caietanus bonitas participata, quæ non habet plenitudinem perfectionis conuenientem rationi formali bonitatis, & hæc est finita, & ab alio pendens. Contra vero bonitas per essentiam est infinita secundum se, & à nullo alio habens esse.

Secunda
Caiet. nota-
tio.

Deinde notat Caietanus in præfati difficultate ratione materiæ hæc duo idem omnino esse. Nam quod est bonum per essentiam priori modo, est etiam bonum per essentiam posteriori modo: sed quia hæc duo, *Per essentiam esse tale: & esse*

per essentiam, vniuersum non in idem recidunt, sed formaliter distinguuntur; Socrates enim per suam essentiam est homo, & tamen non est homo per essentiam; tum etiam quia præfata questio apud S. Thomam est de bono, quod per essentiam est bonum, non de essentia Dei, utrum per se ipsam, an per aliquid aliud sit bona. Iam enim quæst. 3. demonstrauerat Deum esse summe simplicem, ac proinde nihil ei inesse accidentarium; & ita constabat Deum per suam essentiam esse bonum non per aliquid additum; ideo in hoc art. particula, *Per essentiam*, referenda est ad prædicatum, non ad subiectum, ut sensus sit, Deum esse bonum bonitate, quæ est per essentiam bonitas.

Verum licet hæc doctrina Caietani vera sit, ea tamen non est iuxta mentem S. Thomæ, quem interpretari conatur. Nam quamuis ex argumento, *Sed contra*, colligi videatur, loqui de bono per essentiam, quod à bono per participationem distinguitur; quia tamen in omnibus aliis argumentis particulam, *Per essentiam*, plane refert ad subiectum propositionis, non ad prædicatum, idque ex doctrina art. manifeste colligitur, ut mox ostendimus, ideo quod ex argumento, *Sed contra*, deduci videntur, minoris momenti censeri debet. Sæpius enim hoc genus argumenti non tam ponitur à S. Thoma, ut confirmet id, quod docet in articulo, quam ut questionem propositam more solito ex utraque parte dubiam reddat. Quare illius sententia ex solutionibus argumentorum, & doctrina articuli semper conicienda est.

In articulo docet S. Thomas tres esse bonitates, aut perfectiones in vnaquaque re. Prima, inquit, est integritas ipsius, prout existentis, atque adeo iam constituta ex essentia & existentia. Secunda est accidentium, quibus res bene disponitur. Tertia est affectio proprii finis. In lapide ista tria ostendit, qui primo perfectus est suo esse, & essentia: secundo gravitate, & aliis qualitibus: tertio centro, & fine sui motus. Inquit ergo S. Doctor nulli creaturæ per suam essentiam conuenire aliquam ex his bonitatibus: si enim aliqua hoc modo conueniret, esset prima: ea vero nequaquam conuenit, quoniam in nulla creatura, sed in solo Deo, esse est sua essentia: nulla igitur creatura per suam essentiam habet aliquam bonitatem, sed solus Deus. Videtur quidem S. Thomas docere primam bonitatem, quæ consequitur rem in ratione entis ante aduentum existentie, & alicuius accidentis, nulli rei consideratæ secundum essentiam, & secundum esse possibile conuenire: si enim ante existentiam bona esset, non diceret, nullam esse bonam per essentiam suam, quia nulla essentia creata esset suum esse.

Hoc ipsum colligitur ex doctrina eiusd. S. Thomæ infra quæst. 19. art. 3. ut paulo inferius notabimus. Ut autem hanc sententiam defendat, asserere debet essentiam in rebus creatis ab existentia realiter distingui, ut ipse docuit 2. contra gent. cap. 5. & de ente, & essentia c. 5. atque cum eo Scholastici alij, quos referemus 3. par. q. 18. artic. 2. nam si non distinguatur nisi solà ratione, omnis res esset bona per se ipsam, id est, non à quo ei adueniente ab ea distinctio. Parum autem referret dicere, bonitatem rerum creatarum ratione distingui ab essentia, tanquam passionem consequentem: nam in Deo etiam hoc modo à nobis distinguitur, nihilominus.

Caietani doctrina non est iuxta mentem S. Thomæ.

2

Quid senserit S. Thomæ.

3

hilominus dicimus, Deum esse bonum per essentiam suam: eodem igitur modo res omnis creata diceretur bona, atque Deus ipse.

CAPUT II.

Exponitur difficultas prædictæ sententiæ.

⁴ *De quatuor modis quibus ens potest esse bonum.*
Opinio præcedens hoc modo explicata difficultate non caret. Primo quoniam bonitas est passio entis, & cum eo cōuertitur: ergo de quocumque vere enunciatur ens prædicari poterit bonum: de qualibet autem essentia antequam existat vere enuntiat ens: ergo & bonum. Copula namque harum propositionum non significat existentiam, sed connexionem ex natura rei inter subiectum, & prædicatum, ac proinde de rebus nondum existentibus talia enuntari possunt.

Quo pacto bonitas non sit de essentia rerum.
 Secundo, ut probatur 3. p. q. 17. art. 1. existentia idem omnino secundum rem est cum essentia: si ergo res sunt bonæ per existentiam, erunt etiam per essentiam re ipsa bonæ, tamen si bonitas ab essentia, & existentia ipsarum per modum passionis sola ratione distinguatur: nisi quod quemadmodum res antequam existat actu, dicuntur esse possibiles secundum eandem existentiam sub esse possibili, ita etiam bonitas ante existentiam, rei ipsi conveniet sub esse tantum possibili: cumque verbum, *est*, in illa propositione, *Homo est bonus*, aut *equus est bonus*: non denotet existentiam, sed connexionem extremorum, efficitur de homine, & de equo antequam existant, prædictam propositionem enuntiare posse. Porro sicut quæcumque essentia creata, quamvis cum existentia idem omnino sit secundum rem, quia tamen ab alio pendet, antequam sit, & postquam existit, potest non existere, ideo peculiariter ratione dicitur existentia, non esse de essentia illius formaliter: ita quoque debemus dicere creaturæ sic esse bonam per suam essentiam, ut interire possit, & corrumpi, atque ita aliquid malum ei oppositum sit, ut sequenti capite magis explicabitur.

⁵ Tercio eadem sententia difficilis est, quia ut dicemus disp. 79. Deus ita amat creaturas secundum esse possibile amore simplicis complacentiæ, ut eas necessario diligat: est igitur in illis ante existentiam, etiam futuram, aliqua bonitas, in quam actus divinæ voluntatis feratur. Fateor nihilominus ex sententia S. Thomæ creaturas possibiles non diligere à Deo, sed solum aliquando futuras, quia ratione cum inferioribus quæst. 19. art. 3. docuisset, creaturæ à Deo libere diligere, necessario tamen cognosci. statim in solutione 6. inter scientiam, & dilectionem discrimen assignat, quia scilicet, res cognoscuntur à Deo, quatenus sunt in ipso, diliguntur vero quatenus sunt in seipsis: & quia in Deo necessario sunt, sed in seipsis non necessario, ideo necessario cognoscuntur, sed non necessario diliguntur. Id quod verum non esset, si res diligerentur à Deo secundum esse possibile. Hoc enim ita necessarium est, & in Deo necessario repræsentatur, sicut entitas, & veritas rerum; ac proinde eodem modo diligerentur, sicut cognoscuntur. Idem omnino docuit art. 6. illius q. 2. & 1. contra gent. c. 8. in vlt. ratione. Concordat etiam doctrina huius articuli, cum dicit, in rerum essentia, *agere* aduentum existentia non esse. Aliquam bonitatem. Consentit etiam Ferrariensis in eo cap. 81. & 4. contra gent. c. 13. §. dicitur 2. quamvis enim cap. 75. §. Respondetur, illius primi libri dicat creaturas diligere à Deo in seipsis, quatenus etiam se diligit, idemque repetat 4. contra gent. in 1. part. Tomus I.

tra gent. cap. 13. §. Non obstant: mea tamen sententia non loquitur de creaturis secundum rationes proprias, & formales obiectas diuino intellectui, sed de creaturis, quatenus dicuntur esse ipse Deus, aut virtute in ipso contineri. Quo pacto lapis in Deo dicitur vivere vita Dei, ut disput. 70. videbimus. Hoc etiam sensu dixit S. Thom. infra q. 19. artic. 6. ad 2. Deum non velle omne bonum, nisi quatenus vult seipsum, in quo virtute est omne bonum. Quid vero in hac re sentiat Caietanus, dicendum est infra disp. 79. & disp. 144.

Hæc tamen doctrina difficilis videtur. Nam quamvis res antequam existat, non habeat actum bonitatem, sicut non habet esse actum, neque quidquam aliud: nihilominus dici debet quæcumque res bona simpliciter, etiam secundum esse possibile, quia verbum, *est*, in ea propositione non significat existentiam prædicati in subiecto, sed conuenientiam, & connexionem cum illo: & quemadmodum essentia rei secundum esse possibile simul intelligitur cum existentia etiam possibili, imo re ipsa idem cum ea est, sic etiam intelligitur bonitas: quare nihil obstat, quo minus Deus diligat res solum possibiles: quinimo voluntas Dei efficax, quæ vult rem aliquam esse futuram, non supponit existentiam futuram tanquam obiectum, in quod feratur per modum dilectionis, sed solum supponit possibilem. Posterius enim est, rem esse futuram, quam Deum illam velle esse futuram. Cum ergo intelligitur Deus velle rem esse futuram, iam intelligitur illam diligere, ut possibilem.

⁷ Postremo contra superiorem sententiam hæc ratio potest confici. Bonitas rei idem est, quod integritas illius: omnis autem essentia antequam existat intelligitur integra, aut seipsa, si simplex sit; aut partibus essentialibus, ut materia & forma, si sit composita: ergo per se ipsam ante existentiam bona est. Huic rationi Caiet. in hoc art. respondet, duobus modis rem dici bonam. Primum secundum quid, atque hoc modo quamcumque essentiam, antequam sit in rerum natura, esse bonam per seipsam: Deinde simpliciter, sic autem nunquam esse perfectam, & bonam, donec sit in rerum natura; quia propter esse existentia, esse de integritate naturæ, & ad bonitatem illius hoc posteriori modo pertinere: non tanquam partem essentia, sed ut actum illius: & cum dicitur essentia alicuius rei perfectior alia non debet ita intelligi (inquit Caietanus) quasi essentia alicuius rei per se ipsam sit bona, absque aliquo alio, nisi tantum, ut ipse ait, radicaliter. Cum vero negat S. Thomas, rem aliquam creatam esse bonam per suam essentiam, intelligit simpliciter, & sufficienter absque alio.

Rejiciatur.
 Verum ex ijs, quæ diximus, perspicue patet, hanc distinctionem Caietani nullius esse momenti: nam rerum essentia siue per seipsas, siue per aliquid aliud sint bonæ, absolute, & simpliciter dicendæ sunt bonæ, antequam existant. Quia verbum, *est*, in propositione non significat existentiam. Esse autem per seipsas bonas rerum essentias simpliciter ex eo probatur, quia simpliciter entia dicuntur, bonum autem, & ens recipiuntur.

CAPUT III.

Cui conueniat bonum per essentiam.

⁸ **R**espondeo igitur ad quæstionem propositam, esse bonum per essentiam quodammodo solum à Deo conuenire, & quodammodo etiam creaturis: